



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Priiilegium libertatis pro Monasterio & omnium possessionum apostolicum  
tempore primi Praepositi concessum, facultas eligendi Praepositum &  
aduocatum, de soluendo bisantio annuo sedi Apostolicae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

Privilegium libertatis pro Monasterio & omnium possessionum  
apostolicum tempore primi Præpositi concessum, facultas eligendi  
Præpositum & advocatum, de soluendo bisantio  
annuo sedi Apostolicæ.

**INNOCENTIUS** Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio *Rudberto*  
Præposito Ecclesiæ beati Petri *Vndensdorf* quæ in *Frisingensi* Episcopatu sita est  
eiusq; successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Ad hoc nobis à Deo  
pastoralis officij cura commissa est, vt & beneplacitè Deo religionem labo-  
remus statuere, & constitutam exacta diligentia conseruare. Quamobrem dile-  
cte in Domino fili *Rudberte* Præposite Illustris viri *Ottonis* Comitis Palatini præ-  
cibus inclinatis postulationibus clementer annuimus & beati *Petri* Ecclesiæ  
cui Deo auctore præesse dinosceris ab eodem filio nostro *Ottone* Comite Pala-  
tino constructam & beato *Petro* oblatam apostolicæ sedis patrocinio cõmunimus,  
statuentes vt quæcunq; bona, quascunq; possessiones præfata Ecclesia in præ-  
sentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum,  
largitione Principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis præstante Domi-  
no poterit adipisci firma tibi tuisq; successoribus & illibata permaneant. Obeū-  
te verò te eiusdè loci Præposito nullus inibi per violentiam nisi quem fratres se-  
cundum beati *Augustini* regulam substituendum decreuerint Præpositus eligatur.  
Porro ad ipsius Ecclesiæ defensionem atq; salutem eligendi advocatum quæ-  
cunq; malueritis liberâ concedimus facultatè. Decernimus ergò vt nulli omni-  
nò hominum fas sit præfata Ecclesiâ temerè perturbare aut eius possessiones  
auferre vel ablatas retinere, minuere aut iniquis vexationibus fatigare, sed om-  
nia integra conseruentur eorù pro quorum gubernatione & sustentatione con-  
cessa sunt vsibus omnimodis profutura. Salua nimirum Diocessani Episcopi de-  
bita iustitia ac reuerentia. Ad iudicium autem perceptæ huius à *Romana* Ecclesia  
libertatis singulis annis vnum bisantium nostro *Lasteramense* palatio persoluetis.  
Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitu-  
tionis paginam sciens contra eam temerè venire temptauerit, secundo tertioque  
cõmonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui  
dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cog-  
noscat & à sanctissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri  
iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat.  
Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri iesu Christi  
quatenus & his fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum iudicem  
præmia æternæ pacis inueniant Amen.



Ego *Innocentius* Catholicæ ecclesiæ  
Episcopus ff.



Datum *Leodij* per manum *Almerici* sanctæ *Romanæ* ecclesiæ Diaconi Card.  
& Cancell. V. Cal. Aprilis Indictione IX. incarnat. Domin. An. M. C. XXXI.  
Pontificatus verò Domini *Innocentij* II. Papæ secundo,

Aliud